



Q. D. B. F!

# TEMPLORUM

CURIENSIVM  
ANTIQVORVM VLTIVM,  
S. CLARÆ

INSCRIPTVM,

nupera recensione Historica exclusum, hac ipsâ

Postliminii jure à tenebris vindicat,

*eoque*

ad habendum D. VI. Aprilis, A. c. l. c. l. c. LXXXVIII.

*ab ipsis Sacris Matutinis.*

*in*

ILLUSTRI CURIANO

ACTVM

# Oratorio-Valedi-

# torium,

Proceres Urbis

*exorat*

M. JO. CHRISTOPH. LAYRIZ,

Gymn. Patrii Rector,

---

*Literis Minzelianis.*





Uas nuper recensendorum *CURIENSIVM*  
*TEMPLORVM ANTIQVORVM* su-  
 mus exorsi, & pertexendas etiam credidimus,  
 typorum tamen errore nondum potuimus,  
 - - - - - percurrere pectine telas,  
 eas Tibi nunc *Cordate Lector*, ne Penelopæo Te-  
 lusisse dolo, aut plura in Titulis, quàm paginis,  
 malè promissorum memores, exhibuisse vide-  
 amur, subtexendas constituimus. Scilicet, cum ultimi duo qua-  
 terniones, capiendæ illorum Decadi, quorum nomina rubro e-  
 rant inscripta, sufficere initio viderentur, ultimum postmodum  
 & ordine *Decimum*, quod S. CLARÆ præ se fert nomen, crescen-  
 te sub typis conceptorū mole, angustia chartæ fuit exclusum, hic-  
 que postliminii quasi jure, reliquis erit superaddendum.

Monialium autem sacris hoc olim fuit sacrum, utpote qui-  
 bus cum ad finem ferè Seculi IV. *Melenia*, nobilis Fœmina Roma-  
 na, Hierosolymæ ortum illis dedisset, quod ex X *Paulini*, Episco-  
 pi Nolani, ad *Severum Sulpitium*, liquet Epistola, nullus sequiori-  
 bus Seculis, & circa hujus cum primis, Seculo XIV constituti tem-  
 pora, illustrior paululum in Germania carere voluit locus. O-  
 rigines equidem hujus nostri S. CLARÆ Monasterii aded non  
 sunt claræ, ut tenebris potius involutæ, non nisi conjecturis lo-  
 cum faciant; in A, tamen 1348. auspicia ejus conjicit *WIDE-*  
*MANNUS*, cujus etiam aliquot hodiernum in dicto Coenobio,  
 quæ supersunt antiquiora monumenta, mentionem injiciunt;  
 quod itaque circa tempus, aut certe non multò post, ipsum quoque  
 hoc cepisse templum, vero admodum est simile. Et prima qui-  
 dem Foundationis gloria deberi videtur Trigæ Sororum, ut devo-  
 tissimæ, ita nobilissimæ, *Gertrudæ* (*Claram*, cognomine forte Tem-  
 pli deceptus, quod à Fundatrice accersit, in Oratione suâ vocat  
*BLEBELIUS*) *Margarethæ* & *Teclæ* de *UTTENHOFEN*, quarum  
 media, *Margaretha*, *Henricum* quendam, *Advocatum de Plauen* ha-  
 buit Conjugem; Ultima autem *Tecla*, reliquis annis superans, di-



Etique monasterii administratione, sub nomine & potestate Abbatissæ, diutissime functa, hac etiam in monumento, Saxo Funerari insculpto, potissimum cluit gloria, dum nomini ejus diei e-mortualique, Festo scilicet Matthiæ, 1378 hæc subjuncta lecta olim fuerunt verba: *Quæ præfata Domina cum Filiis suis istud monasterium fundavit. Quamquam autem nobilissimæ hæc Fœminæ omnia, aut plurima, bona sua huic sacro excitando deputasse legantur; quin tamen Domini RUTHENI, penes quos tunc Urbis nostræ hærebat possessio, pronam illarum in rem sacram mentem, omni conatu juverint, & suis quoque impensis, molientibus tantum Opus, cui privati haut suffecturi erant sumtus, adstiterint, nullum planè est dubium; confirmasse certè illa piarum mulierum legata HEINRICUM Seniore & HEINRICUM Juniore, Advocatos de Plauen, & suo consensu roborasse ipsam foundationem, WIDEMANNO, ad dictum Annum, totidem perscriptum est verbis. Singularem præterea laude extollitur Comitum de ORLAMUNDA & Nobilitatis Vicinæ, nec non ingenuiorum Urbis Civium liberalitas, qui Operi huic promovendo multum contulerunt. His ergo obstetricibus tum ipsum Templum, tum monasterium enatum, eo quidem in loco, quo olim Nobilissimus Eqves Mörringius habitationem suam fixerat, mediâ nempe inter arcem & Franciscanorum ædem arcâ.*

Templum ipsum non sine singulari cura fuit extructum, formâ oblongâ, cujus Longitudo passus continet Geometricos 54, Latitudo viginti adæquat duos, si externam lustres circumferentiam, Altitudo muri adhuc conspicui 40. est passuum. In medio fere lateris Meridionalis turricula fuit ornatum, quod illæsum hodiernum superest, quamquam ut inferius dicetur, campanulâ olim imposita sit spoliatum. Qui orientem solem spectat paries Ædis Franciscanorum Occidentali est contiguus, insignique mutua fenestrâ mutua sibi invicem communicant lucem, quam ista quoque quinque æqualibus aliis undique abundantem recipit. Et quod mirere, mutuis etiam contigua hæc Monasteria, occultis licet,



licet, patuere per sacras **Ædes** receptibus, quorum alter disiecto tecto, sub quo latuit, non ita pridem fuit detectus, alterum meatibus & ductibus foveri subterraneis constantissima, & vel in vulgus nota fertur fama. Neuter fortè Monachis ita clam habitus, ne visitandis quandoque monialibus illos adhiberent. Ad minimum publicos eosque fideles invicem miscere potuisse in ipso Templo sermones, lamina quædam ferrea, sed perforata edocet, quæ contiguo illi inhæret parieti, & in Claræ Templi Capella Atriensi præbet aditum. Confessionis audiendæ causa, quod quidam conjectitant, fuisse adhibitam, non facile dixerim. Ipsam structuram singulari magnificentiâ firmissimo lapidum robore, fornicum quoque mirando opere, præ multis eminuisset, vel illa, quæ hodie num restant è tam vasto corpore immania testantur rudera, contra ipsas tempestatum, quæ patent, injurias diu satis adhuc duratura; quin tamen tempus edax rerum, pluvieque muros paulatim exedant, ipsorumque lapidum prægrandium violentia venti facta deturbatio, ni parietali tectulo reliqua muniantur, & imposte sit metuenda, nemo ambigit.

Stetit clarissimum hoc **CLARÆ** Templum, procul dubio in memoriam Assisiensis Virginis, Collegii & Ordinis Pauperum Dominarum conditricis, quæ de in Legendis infinita legenda occurrunt miracula, excitatum, ad A. usque 1546 inconcussum, quò, cum Abbatisa ultima emoreretur, reliquæque moniales, accensæ per Lutherum Evangelicæ facis lumen haut sufferentes, aut clam dilaberentur, aut in matrimonialem quoque se conferrent ordinem, & sic cultus eorum in illo cesaret Templo, pessimorum quorundam homuncionum petulantia, zeloque minus sano, pessimè istud fuit habitum, apparatu suo sacro, libris, aris, candelabris, in quibus spoliatum; omnia in eo fuerunt concussa, confraeta, & in quassata, ut Curie non iconoclasia tantum, sed quæ tanto turpior, quò publico etiam bono invidiosior omnimoda Hieroclasia invaluisse sit visa. Ipsa ad minimum campanula, quæ turriculæ erat imposita, clam fuit subtracta & decocta. Graphicè,

nee



nec sine multa bile malefactorum horum hominum acerbissimas in sacrum hunc locum depingit injurias, acerrimèque in illos invehitur ad dictum Annum *WIDEMANNUS*, recensens: neque Burggraviarum Abbatisarum (erant hæc *CATHARINA & AGNESIA FRIED. VI. Burggravii & MARGARETHA, ALBERTI Achillis El. filia*) tumulis harpyjarum istarum manus percuisse, impiâ & ipsis Gentilibus penitus execranda libidine. Seqventibus annis, cum nemo esset, qui derelicti sacris Templi curam haberet, majorem indies passum est ruinam, & cum ingruente bello, ut integræ Germaniæ, sic & Urbi nostræ multum infenso, tecti insuper habitâ curâ, laquearia & fornices insignes, imbribus exesi, corruerent, ipsum tandem quoque tectum, quod refici non posset, aliquot ab hinc annis fuit dejectum, ut præter nuda parietum latera, ingentem lapsum minitantia, nihil hodie superfit. Aditus in hanc Ædem in ipso Claræ olim patuit monasterio, qui lapso superiori anno, ne omnium admitteret incursitationes, ducto muro fuit præclusus, alio contra ex Æde Francisci, & olim forte patente, de novo in illam aperto. *Tantum* (obsignabo hanc meam narrationem Widemanniano hoc Epiphonemate, suæ subjuncto,) *de optimo Templi hujus initio, & pessimo ejus exitu.*

Sic omni collapsorum Templorum lustrata Antiquitate, eorumque memoria è cineribus quasi erutâ & Posteritati, quantum possibile, vindicatâ, nihil de iis dicendum restat. Verum ne pagellæ, nimietate antehac oppressæ, nunc paucitate vilescant materiæ, subjungerem adhuc, *ως ἰσχυροῦς*, literas binas Indulgentiales, ad recensitorum Templorum, & S. quidem Nicolai Fani historiâ in specie facientes, qualesque olim superstitiosus Papatus in Templorum tum noviter condendorum, tum conditorum sartè rectèque conservandorum usus complurimas est elargitus; Cum autem à Fratre mihi lectissimo, exempla illarum olim in *Pabst's Thron L. III. c. 3. à p. 1020-1034.* è Patria quoque Curie Historiâ colligente, priores, *CONRADI* scilicet, *Salisburgensis Episcopi*, p. 1022. jamjam sint adductæ, posteriores saltim, ipsi, ne moles ex-



crefceret, studiis prætermiffæ, Patriæ tamen Studiofo Historiæ nec feitu indignæ, nec lectu ad fenfum quidem adeò injucundæ, à me commodentur.

Et hæc quidem à Gregorio, Pragenfi Epifcopo D. Nicolao fuerunt attributæ, cum ut fupra retulimus, A 1299 funefto igne periret. Non autem foli illi, fed & S. Laurentio & S. Michaëli fequenti profuit formula:

*Sententia hujus pro Ecclefia S. LAURENTII,*

*S. MICHAELIS & S. NICOLAI XL. dies.*

Nos GREGORIUS, Dei gratiâ Pragenfis Epifcopus, notum efle volumus univerfis prefentes literas infpecturis, quòd Indulgentiam venerandi in Chrifto Patris, Domini LEOPOLDI, Babenbergensis Epifcopi, collatam Parochiali Ecclefie in Curiâ Regniz S. Laurentii, fanctique Michaëlis Archangeli & S. Nicolai Confeforis per proprium ignem devaftatis, (NB. proprium, alibi familiarum dictum, vocat ignem quafi domesticum, propria negligentia exortum, non fulmine aut vi hoftili immiffum) quæ non pofunt de propriis ftipendiis reædificari, fed oportet ipfas per Eleemofynas bonorum hominum acquifitas aliunde; (subintellige inftaurari) ratam & gratam habentes: Omnibus vere poenitentibus & confefsis, qui eisdem bafilicis jam præfatis manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies autoritatis noftræ, prædictæ Indulgentiæ favorabiliter annexentes, mifericorditer relaxamus. Notum facimus omnibus Plebanis noftræ Diœcefis, hanc literam à nobis fore datam, fub virtute fanctæ obedientiæ vobis præcipientes, quatenus hunc Negotiatorem (i. e. eum, cui hoc negotium eſt commiffum) in omnibus fuis factis fideliter promoveatis, testimonio hujus fcripti. Datum Pragæ, Anno Domini M. CCC° primo, in Fefto Michaëlis. Pontificatus verò noftri anno Indictionis nono.

Posfet hic, qui vellet, in Criticorum fe diffundere cenforiam licentiam, nec dubito, quin Aristophanes aut Aristarchus in literis his inveniret, ex quo infami barbaræ ruditatis inſcitiæque inſignis obelifco tam gravem notaret Patrem, fed abſit à nobis

isthæc



isthæc sigillandi libido, qui commendantis nunc agere partes  
jussi sumus.

Qui enim manum calamo voluerunt admovendum, binū  
sunt ex Discipulis hætenus nostris, pii & in tantum morigeri ac  
seduli, in quantum per impotentis reluctantisve illorum naturæ  
vim haut fuerunt præpediti. Prior

**JO. CONRADUS ROESLERUS**, *Kirchenlamixio-Variscus*,  
Viri quondam Reverendi & Doctissimi, Dn. M. Johann Wilhelmi  
**ROESLERI**, Diaconi apud Kirchenlamixenses bene meriti, *ῥῶν ἐν ἀγίοις*.  
Filius natu maximus, à 4. Aug. An. 1682. & ita integro fere abhinc  
sexennio, nobiscum ac Musis nostris habitavit. Quamquam au-  
tem quod à novercante natura ferreum acceperat ingenium, mul-  
to nec inutili planè subigeret & emolliendum tentaret labore, re-  
nuit tamen duci quandoque chalybea vis, ut impostero quoque  
sit habiturus, quo cum confligat, hostem. Ceterum neque in  
publicæ honestatis, neque modestiæ petulanter impegit Leges,  
quin promptum inserviendi animum & iis ostendens, quorum Pæ-  
dagogicæ pro viribus excubuit. Patre enim & matre biennio ab-  
hinc factus orbis, tenui aut alienâ vivere quadrâ fuit adactus;  
& hæc ipsa sumtuum accedensve insuper accrescentis ætatis ratio  
in campos propellit eum Academicos, quos nostro indultu sibi  
suscepit lustrandos. Juvamus hinc eum voto, juvamus com-  
mendatione, & ut ejus quisquis es, juves pauperiem, omni Te ex-  
oramus prece. Posterior

**NICOLAUS SALOMON Prediger/Gefellensis**, Jo. Predi-  
geri Pistoris & Civis ibidem honestissimi Filius, qui paria in di-  
stributis naturæ dotibus expertus fata, quas tamen omni conatu  
auctiores reddere, sexennio hoc & dimidio, (18. n. Octobris An.  
1681. nostris fuit adscriptus) laboravit. Prompti certe obsequii, de-  
votionis & modestiæ laudem tum à nobis meretur, tum à Dn. Colle-  
ga **TERTIO** conjunctissimo, cui *σύννοικ* & fuit, publice defert, nec ini-  
quiori judicio censoriæque virgulâ apparendi promptissime & in-  
serviendi ejus voluntatem notabit unquam, cui pariter in libero-  
rum




rum moribus formandis ad tempus adstitit, Dominus *Vicarius Urbis Prætor* dexterrimus. Easdem igitur ex vero urgentem causas, eadem dimissimus benevolentia, ut & huic DEUS faveat, boni patrocinentur, prolixè voventes.

Quò autem publicæ quoque Discessurorum satisfiat solemnitati, illique obæratum pro beneficiis publicè testentur animum, DEO cumprimis, post Patronis & Evergetis, ferente sic tempore, Passionis Dominicæ potiores Actus, binis de illa habitis Orationibus, in profcenium producent Oratorium, quibus non sine doloris Affectibus exhibitis, gratum quoque Posterior, utrorumque tamen nomine, animum publicâ exponet Valedictione.

Adcurrere igitur, quos JESU patientis ejusque salutaris Passionis audiendæ verus tenet Amor, accurrere nostrosque infantes Oratores (nam in infantum quoque ore Numini grata laus est) pro sucto vestro in bonas Musas favore, audire ne dedignemini; Vos cumprimis inclutæ Curiæ Proceres multum Spectatissimi, **SERENISSIMI PRINCIPIS AC NUTRICII NOSTRI CLEMENTISSIMI** Ministrissime, *Illustrissime Comes ac Domine, DN JO. ALBERTE, Comes de Ronov & Bieberstein, Domine in Oppurg, Knaus, Grobix & Grünau &c.* laudatæ **SERENITATI** Præses Consiliorum Superior Undiquaque *Eminentissime, Consiliarie Intime Fidelissime, Districtissime Curienfis Exarche Splendidissime, Comes ac Domine multum gratiosissime, cum Heroum sanguine Nepote Illustrissimo, DN. JOHANNES FRIEDERICO WILHELMO, Comite de Leinungen, Domino in Wester- & Schaumburg, &c.* Domino meo perquam gratioso; Vos itidem Ecclesiæ Antistites, *Viri Maxumè & Plurimum Reverendi ac Præ-Nobilissime, Domine JOSEPHE FRIEDERICE de WALDECK, in Culmiz & Dæbra-Stæcken, Pastor Curienfis Primarie ac Vicinorum Superintendens Gravissime, Gymnasii Inspector Dignissime, reliquique Administrigilantissimi, Nobiliss. Excellentiss. Physici, Medici; Consultiss. Officiales; Senatus Urbice Prudentiss. Spectatiss. Gymnasii nostri Patrone & Scholarchæ; nec minus Vos Honoratiss. Coniunctissimiq; Collegæ, Præ-eximii ac Humaniss. Studiosi, Omnes deniq; bonarum Musarum Favitores, gratiosam vestram, honoratiss. ac per amicâ commodate petenti præsentiam, qui tam luculentæ*

*gratiae, favoris amorisque in vestra nota devotus, nunquam demeruerit.*







TE

AN

nupera r

ad h

Or

M. J

RUM

MUM,

um, hac ipsa

LXXXVIII.

aledi-

LAYRIZ,

